

~~Ed. 276~~

1) Liber, P.

metr. 2) - 15)

El 236

(3) = HF



9



ΣΥΓΚΡΙΣΙΣ  
METALLI  
OMNIUM PRE-  
CIOSISSIMI

AURI

&

PABULI PIORUM SA-  
LUBERRIMI VERBI  
DIVINI,

Brevi carmine delineata

ab

ELIA OTTONE SOR-  
LUSATIO

Laudatis. Vratislaviensium Gymna-  
sij Elisabeth. alumno.

⦿):(⦿

---

LIGNICII typis Nicolai Sartorii  
Anno Critico, qui est  
MDCVII.

Clarissimis, doctissimis, spectatæ fidei  
& pietatis, laudatæ prudentiæ, atq; eximiæ  
auctoritatis cumulo præstantissimis  
VIRIS,

DN. CHRISTOPHORO HEN-  
SCHERO J. U. D.

Magnifici Senatus, Populiq; Vratisl. Syndico,  
atq; per Ducatum Vratislaviensem & con-  
junctos archivorum terrestrium,  
districtus, Magistro:

ET

Dn. ANDRÆ WAGNERO  
Amplifs. Vratislaviensium Rei-  
pub. Secretario:

NEC NON

*Prudentiss. multo rerum usu excellen-  
tissimis spectatissimisq; VIRIS,*

Dn. GEORGIO BERTHOLDO s Consulib. Reipub.

Dn. BENEDICTO CONRADO ꝓ Soraviensis.

Dn. ANTONIO REUTERO Prætori,

Cæterisq; Senatorib. Soraviensium Rempub.  
justè fideliterq; administrantibus,

*Musarum Patronis, & promotoribus, debito observantiæ studio  
officiisq; omnibus æternùm prosequendis & observandis  
summissè*

Nuncupat, dicat, offert.  
E. O.

**A**grediar quonam versu celebrare potētis  
Vim Verbi, certā gentes quod lege coercet  
Et populos? Tu sancte mihi tu Spiritus ignē  
Inspira: faciles rogo des in carmina vires.  
Plurima per sanctos quōdam simulachra prophetas  
Edita, suntq; typi divino in codice multi,  
Qui decus eximium Verbis caelestibus addunt.  
Scilicet ignivoma confertur ritē lucernæ.  
Ut laterna pedes regit, ut lampas face clarā  
Molle viatori commonstrat iterq; gubernat:  
Consilii magni sic Regis dogmata dia  
Commonstrant misero stellati limina caeli.  
Utq; aliās solers hominum natura lapillos  
Et gemmas porcis vetat objectare ferinis:  
Sic Et gemmarum precio preciosius omni,  
Irato Verbum CHRISTUS negat ore scelestis.  
Sed labor unius non est hac velle diei  
Enumerare, sat est paucis attingere multa.  
Ergo mihi, dum plura aliis meditanda relinquo,  
Cum VERBO (si parva licet componere magnis)  
Auri conciliare placet praelustre metallum.  
Principiō terris non est preciosior auro  
Thesaurus, post se qui cuncta metalla relinquit,  
Et longè superat ferri fragmenta ridentis,  
Et quæ prætereā tellus parit alma metalla.  
Omnibus ut stellis patuli fax publica mundi  
Clarior

Clarius est gemmis : Sic est prestantius aurum.  
Hoc ( si magna licet rebus componere parvis )  
Salvifici Verbi Jovæ est insignis imago :  
Sicut enim splendore suo longè eminent aurum :  
Sic quoque divini cœlestia dogmata Verbi  
Doctorum longè præcellunt scripta virorum,  
Quæ Sol justiciæ , perfectæ gloria lucis,  
Gentibus antiquis quondam non nota profanis.  
Hic hinc justiciæ superans Sol omnia terræ  
Lumina, qui Verbo confert decus omne, tenetur.  
Filius ipse tridentiferi qui vera propago est  
Patris, se monstrat purum per dogmata pura  
Agnum, qui sine labe, simul sine sordibus esset  
Peccati, solus generi data victima nostro.  
Hinc sua cœlesti majestas obvia verbo.

Nec jacet in campis aurum, spaciisve viarum,  
Nec jacet in pratis, pomisq; virentibus hortis,  
Illius accessus non cuivis obvius extat :

Arte sed assiduâ durôque labore paratur.  
Nascitur in terræ (mibi crede) meatibus imis,  
Quæritur hinc summo sine non discrimine vitæ.  
Namque tenebrosis obryzum in vallibus aurum  
Fulget: Teutoniæ veluti persæpè fodinas  
Vidimus ubertim largo cum fœnore apertas,  
Pannoniæ, atq; alibi, celso sub culmine montis,  
Singula quæ numero certo comprehendere non est.

Fama

Fama tamen loquitur, fluviorum grana quòd auri  
Undique condantur, flavisque tegantur arenis.

Sicut in Hispanòque Tago, Lydiaque per agros,  
Pactolo in fluvio multa aurea grana vehuntur.

Nec verò terras Verbi nitor occupat omnes :

Florida Turcarum regio, caligine densâ  
Obruta, cœlestis splendorem respuit auri.

Nec tamen est certis affixum sedibus orbis  
Verbum, CHRISTE, tuum; regionibus, urbibus, aulis,  
Et pagis resonat divino munere multis.

At quocunque loco sedem mutare jubetur,  
Mox abit, atq; alias confestim migrat in oras.

Hæc verò propria est auro vis insita puro,  
Flammarum medio fuerit licet igne recoctum,  
Nesciat in cineres solvi, nec parte perire :

Sed magis atque magis fulgescit forma metalli :

Sic Evangelium descendens vertice Olympi,  
Aspersâ errorum exuitur quoque labe malorum;  
Atque gravi morum caligine sæpè levatur.

Nam struit hæreticus divinis undiq; verbis  
Insidias, passim in puris sua seminat agris  
Dogmata, quòd possit fruges resecare benignas.

Interea CHRISTO cruce gens addicta Tyrannis  
Torquetur sævis, per multa pericula, rerum  
Per varios tendit casus, ad sidera cœli,

Cogitur herculeos hæc gens perferre labores.

Tantaq̄, cœlestis Verbi tam vivida vis est,  
Rebus ut adversis opponere pectora lata  
Audeat, & saluum fidei retinere nitorem,  
Quô magis errorum premitur caligine cecâ,  
Hoc minus opprimitur, sed mentes erigit altas,  
Invictôq̄, sui cultores robore donat.

Quid memorē? quantas dispellat mentis & agræ  
Avertat nebulas, animis & tristia monstra.

Hinc possunt auro Medici feliciter uti,  
Si datur egroto resolutum pulveris instar,  
Continuò instaurat vires, & robur anbeli  
Pectoris amissum reficit, cordiq̄, medetur.

Dein scabiosa arcet contagia sordida lepræ,  
Vipereo succo pereat ne corpus onustum.

At melior multo longè & præstantior usus  
Est Verbi: quoniam mentem, non debile corpus  
Curat, & ad cœli perducere regna laborat.

Erigit afflictum, trepidantia pectora habentem,  
Exiguamq̄, fidem firmat solidatq̄, tenellam.

O fortunatos homines hoc tempore natos,  
Quo minor est auri, sed major copia Verbi!

Divini nobis jam reddita lumina Verbi  
O sacra, quæ optarunt antiqui corde gemente  
Patres, æternæ verè lux grata salutis!

O fulgens iterum, lachrymis sibi quam cupière  
Patres, tum proavi nulli pietate secundi!

Magnus



Magnus Aristoteles specimen virtutis & artis  
Qui dedit eximium, quo vix sublimior alter  
Exitit, apricas sub lucis prodiit auras,  
Dogmata salvifici nescivit lactea Verbi,  
Inq; locis sacris haeret ceu ridiculus mus.  
Tullius excellens facundæ munere lingvæ,  
Non habet, errorum densâ sub nube Papatus,  
Ut fuit antè, locum pulsâ caligine passim.  
Sola DEI claret magno suffulta vigore  
Vox, in quâ aeternæ consistit summa salutis,  
Quâ sine nemo potest regnum cœleste subire:  
Ut quo plus tractes, animo sensuq; revolvas,  
Plus tamen invenias, tua pectora quod juvet inde,  
Gratos tuq; feras magno cum fœnore fructus,  
Muneribusq; poli felici sorte fruaris.

Deniq; gemmato factus ceu pulvis ab auro,  
Infirmum corpus, mixtus cyathisq; cibusq;  
Conservat, flatusq; impuri sanguinis arcet,  
Sævaq; pestifera dispellit semina lepræ:  
Sic Evangelii vox lepram pellit edacem,  
Criminis antiquæ purgat contagia lepræ.  
Nam mala peccati maculant contagia corpus.

Utq; boni nil est, quod non admittat abusum:  
Allicit hoc etiam mortalia corda metallum,  
Atq; valore suo stimulum cupientibus addit,  
Illius ut nimio studio teneantur habendi,

Accersantq;


Accersant extrema sibi discrimina vita.  
Quin & opes rerum sunt instrumenta malarum,  
Sunt & avaritia, luxus, fastusque ministra:  
Dogmata sic mirâ norunt sua fraude sophista  
Texere prae-textu Verbi, scelerata favoris  
Turba DEI pulchrè novit prætendere nomen.

Quod superest, pie Gnate DEI, studiosè salutis  
Humanae, mundi factor, mundique Redemptor,  
Te rogo, te supplex votis ardentibus oro:  
Ut cum perpetuo tua vox mansura sit aëvo,  
A nostris nunquam dum vivimus exulet oris;  
Et procul hinc arce errorum contagia fæda:  
Tu fer opem miseris nobis, succurre cohorti,  
Quæ tua cordato profitetur pectore Verba.  
Nè ve sinas clarum, Vindex æquissime noster,  
Extingui LUMEN, nebulas & disjice mentis,  
Quo verum maneat Verbum, in violabile Verbum.  
Gloria semper, honos, semper tua fama manebit,  
Atque tuum toto nomen celebrabitur orbe:  
Omnibus hoc votis, votis hoc omnibus opto.

ΤΩ ΔΕΩ Δ'ΟΞΑ.







Inches 1 2 3 4 5 6 7 8  
Centimetres 1 2 3 4 5 6 7 8 9 10 11 12 13 14 15 16 17 18 19

Farbkarte #13

B.I.G.

Blue

Cyan

Green

Yellow

Red

Magenta

White

3/Color

Black

PIΣIZ  
ALLI  
IMPRE-  
SSIMI  
URI  
&  
IORUM SA-  
MI VERBI  
INI,  
ne delineata  
ab  
TONE SOR-  
ATIO  
lavensium Gymna-  
ch. alumno.  
(S)  
is Nicolai Sartorii  
tico, qui est  
C VII.

9

